Carolus Card. Pius
Joanni Alberto Ep.o Varmiensi
12/3 1631.

Ill.mi et Admodum R. D.ne. Cum quotidie magis notum fiat quanta sinceritate
mentis et maturitate cognitionis incipere et prosequi deceat, eorum causas, qui
diem ultimum obiere non sine aliqua Populis relicta opinione sanctitatis et
quam accurate, fideliterq. in re tanti momenti adhiberi testes et in examen vo-
cari conveniat; Sacra Rituum Cong.o facto prius verbo cum Sanct.mo, ne aliqui
subrepat abusus, iussit Amplitudinem tuam hac peculiari epistola fieri certiorem
de iis quae in adiuncto decreto continentur, nempe ut curet, ne imposterum
ulla ex parte adversus illud à quopiam in sua Dioecesi aliquid committatur sed
ab omnibus omnino inviolabiliter observetur; et quando apud Amplitudinem
tuam ab aliquo petitum fuerit, ut velit inquirere in sanctitatem vitae et mira-
cula alicuius, qui cum praedicta fama obiisse dicatur, quoniam nimia ple-
rumq. credulitas, atq. celeritas occasionem errori praebet, non prius generaliter
super vitae sanctitate inquiri permittat, quam particulariter de alicuius virtutis
eminenti gradu, aut peculiari aliquo miraculo praecedat famae comprobatio
prout prudentiae suae, magis expedire videbitur; quod per te ipsum exequi
sacra Congregatio summopere exoptat. Sed si ob valetudinem vel ob legi-
timum aliud, et grave impedimentum, id conficere non valebis, super quo
conscientiam tuam onerat eadem Congregatio, poterit Amplitudo tua dele-
gare Vicarium suum generalem vel alium in dignitate ecclesiastica constitutum,
qui delegatus, sive ille sit Vicarius, sive cuiuscumq. dignitatis cum aliis mini-
mum duobus doctis viris, altero scilicet magistro in Theologia altero vero
graduato vel licentiato in Iure Canonico rem totam ita peragere debeant, ut
omnes sua nomina subnotent post subscriptionem cuiusq. testis antequam discedant
à loco ipsius examinis. Curabit insuper Amplitudo tua ut testes omnes quaecumq.
habent, explanate, et per extensum deponant, nec se referant ad attestationes

98

Ep.o Varmient.

reddat, neq eis reuisentur, quæ alias ipsi deposuerunt. Postquam vero fuerint p
Amplitudinem tuam, vel p alios à te ex causis supra narratis subrogatos, acta com-
pleta, secreto retineantur, praestito et Juramento à Notarijs, et testibus se nemini
promulgaturos, quicquid ipsi scripserint, et respective deposuerint, uel de quibus
interrogati fuerint. De his autem actis per te aut iussu tuo confectis certiorem
statim reddere debebit Amplitudo tua summum Pontificem, eaq quanto citius
poterit authenticè transcripta ac sigillo obsignata ad Sac. Rituum Congregatio-
nem transmittere. Originalia vero eodem modo consignata, et in capsa clausa
pluribus clauibus, quæ diuersis ad arbitrium tuum custodiendæ tradantur
In Archiuio Episcopali conseruentur. Notum tibi sit Amplitudini tuæ neque
p hanc epistolam, neq per aliquid in ea propositum, voluisse summum Pontificem
neq sacram Rituum Congregationem tribuere aut augere Jurisdictionem seu facultatem quæ
alias episcopis competere posset. Atq vt hæ literæ nulla imposterum obliuione
deleantur, sed semper in recordatione vigeant, et tua et tuorum deinceps succes-
sorum, dabit operam Amplitudo tua ut illæ quanto citius, tam in Curia
tua episcopali quam in Archiuio capitulari ad perpetuam memoriam
asseruentur. Vale. Datum Romæ 12. martij 1635

Amplitudinis tuæ

Vt. fr.

Card. Pius

D. Tegmmius epus Atrebaten. Rect.

Ill.mo et Admodum Rev.do D.no
D.no Episcopo
Parmien.